DE VESPIS ET VESPILLONIBUS

HAEC **SYMBOLA ETYMO-ZOOLOGICA** EDITA EST IN
BIBLIOTHECA LEONIS LATINI
https://ephemerisnuntii.eu/bibliothecaLL.php
A.2026

DE VESPIS ET VESPILLONIBUS

Verbum ***vespillonis*** tractaturi proficiscemur a testimoniis. Cum *Thesaurus linguae Latinae,* Latinitatis antiquae lexicon omnium copiosissimum et subtilissimum, nondum complectatur verba a litterâ 'u/v' incipientia, oportet acquiescamus in lexicis Georgesiano et Oxoniensi (OLD) adhibendis.[1]

Ibi autem inveniuntur vocis vespillonis loci testes et significationes hae quae sequuntur:

vespillō, -ōnis m.

1. *i.q. sandapilarius; is, qui funerandis corporibus pauperum officium gerit.*

SUET. Dom.17,3 cadaver eius per vespillones exportatum. MART. 1,47,1 nuper erat medicus, nunc est vespillo Diaulus: quod vespillo facit, fecerat et medicus. id. 2,61,3 APVL.flor.19 FIRM. Math. 2,1. NOT.TIR. 58,81. SIDON.epist.2,82. Vespillonum sandapiliariorumque ministeria. PAVL. Ex Festo p.368 M. Vespae et vespillones dicuntur qui funerandis corporibus officium gerunt, non a minutis illis volucribus, sed quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt. Hi etiam vespulae vocantur.

2. *cognomen Romanum*

AVR.VICT.[2] De vir ill. 648. Traditum est cognomen Vespillonis iam aetate Gracchorum in usu fuisse.[3] Praeterea notus est Q. Lucretius Vespillo (cos. 19 a.Chr.n.): APPIANVS civ. 4,189-192. VAL.MAX. 6,72. MON.ANCYR. 12; DIO 54,101-2.[4]

3. *violator sepulcrorum* (gr. *τυμβορύχος*)

MAECIAN. Dig. 36,1,7 vespillonem aut alias turpem...hominem. MARCELL.dig.46,3. 72,5 si ita quis stipulanti spondeat 'sanum esse, furem non esse, vespillonem non esse.' VLP. Dig. 21,2,31. FVLG.serm.ant.2. p.111,14 H. cfr GLOSS. IV,191,39 vespillo, sepulchrorum violator.

Secundum Georgesium inveniuntur hae formae secundariae quae sequuntur:

a) vispillo (MART. 1,30,1 et 1,47,2. APVL. Flor.19. GLOSS.III 77,63.
b) vispellio, VLP.dig.21,2,13 M. MARCELL.dig.46,3,72. §5M.
c) bispellio et bispello, GLOSS.II,30,24 et 25.
d) vespero SERV.Verg.Aen.11,143.

---

1 Karl-Ernst Georges: Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, 14.Auflage, Hannover 1976 tom.2, col.3450; GLARE, P.G.W. (ed.)

2 cfr Tusculum Lexikon griechischer und lateinischer Autoren des Altertums und des Mittelalters. 3. Auflage München/Zürich (Artemis Verlag) 1982, p.93, s.v. Aurelius Victor: „4.Jh. n.Chr., aus Nordafrika, hoher römischer Staatsbeamter; Verfasser einer Geschichte der Kaiser (Caesares) von Augustus bis Constantius II. (360). ...Die Ergänzungen seines Werkes nach rückwärts (Origo gentis Romanae und De viris illustribus)...sind nicht von ihm..."

3 cfr WALDE/HOFMANN: Lateinisches Etymologisches Wörterbuch, 5.Aufl., 2.Bd. M-Z, Heidelberg (Carl Winter, Universitätsverlag) 1972, p.772, s.v. vespillo: „...(seit Martial, als Eigenname schon aus der Zeit der Gracchen belegt)..."

4 Appianus et Valerius Maximus narrant, quomodo hic vir a triumviris Marco Antonio, Lepido, Octaviano proscriptus ab uxore servatus sit: VAL.MAX. 6,72 *Q. Lucretium a triumviris uxor Turia inter cameram et tectum cubiculi*

e) bisbillus, GLOSS.IV,314,17 et V,443,13.

In Lexico Latinitatis Etymologico a *Walde* et *Hofmann* composito afferuntur haec etyma verbi *vespillonis:*

1. PAVLVS ex Festo p.368 M. (vide supra): a vespere, „quia vespertino tempore eos efferunt..."
2. ZEYSS[5] a **vespa** (BENVENISTE[6]:
   -ill- est deminutivum, -o est suffixum vulgare). **Tertium comparationis**:
   a) ZEYSS (?): comesio carnis[7]. b) GOLDMANN: transportatio cadaverum.[8]
3. RIBEZZO: *vest(i)-pilo, *-pillo i.e. is, qui vesti(menta cadaveris) pilat[9].
4. MULLER: ***ve- + spel, a verbo Gothico filhan**[10]
5. ERNOUT: verbum Etruscum.[11]
6. OŠTIR: ***v-i-spillo**, *a sepeliendo, verbum labiali praefixo „alarodiano"instructum*.[12]
7. POTT et PAULI: „**male sepeliens**", e ***ve- + sepelio***. Imitatio verbi vespae[13].

Etymon primum, i.e. antiquum, non convenit cum formâ verbi (quod, si a *vesper* duceretur, potius esset formae, qualis est **vesper-ill-on-es* aut +*vesper-uncul-arii*); forma *vesperones* (SERV.Verg.Aen.II,143) est *„propter verbum a vespere derivatum falso constructa"*.[14] Ceterum explicatio semantica Pauli grammatici (ex Festo sumpta) non est plausibilis.

Item *Hofmann(ius)* sentit etymon illius *Oštir,* qui duxit vocem *vespillonis* a sepeliendo, addito labiali praefixo alarodiano, esse „inutile".[15] *Pottianum*

---

abditum (ein dem Hohlraum zwischen Decke und Täfelung", v. Dieter Flach, Die sogenannte Laudatio Turiae (Wissenschaftliche Buchgesellschaft), 1991, p.1, *una conscia ancillula, ab imminente exitio non sine magno periculo suo tutum praestitit*. Num „Laudatio Turiae", pulcherrima illa inscriptio memorialis a marito uxori mortuae dedicata, ab eodem Vespillone confecta sit, incertum esse demonstrat Flach in libello supra commemorato, p.8.

5 WALDE/HOFMANN, l.l.: „Zeyss, KZ. (= Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung, hg. v. A. Kuhn usw., Berlin u. Gütersloh 1852 ff.) 19, 178 ff. mit Literatur über frühere Deutungsversuche."

6 ibid.: „Benveniste BSL (= Bulletin de la Societé de linguistique) 24,124: -ill- deminut., -o- vulgär)."

7 ibid.: „auf Grund des fleischfressenden Charakters dieses Insektes".

8 ibid.: „Goldmann (briefl.) sieht das t(ertium) comparationis darin, daß die Mauerwespe ihre Larven dadurch ernährt, daß sie durch ihren Stich betäubte Insekten zu den Larven im Fluge schleppt, also gewissermaßen als Leichenträger funktioniert."

9 ibid.: „Ribezzo, RIGI (= Rivista indo-greco-italica. Napoli 1917 sqq.) 5,167 *vest(i)pilo, *-pillo 'Leichenplünderer'"

10 ibid.: „Muller Ait. Wb. (= Altitalisches Wörterbuch, Göttingen 1926), 541."

11 ibid.: „Ernout BSL. (= Bulletin de la Societé de linguistique. Paris) 30,111 („aus dem Etruskischen entlehnt...")."

12 ibid.: „...Oštir (Drei vorslavisch-etruskische) Vogeln(amen, Lublin 1930)26: *v-i-spillo mit alarodischem Labial-präfix zu *sepelio*)."

13 ibid.: „Pott E(tymologische) F(orschungen auf dem Gebiet der Indogermanischen Sprachen, Lemgo 1833-36, 2. Auflage 1859-61), 1, 198 et Pauli Ait. Fo. (= Altitalische Forschungen) I 71: aus *ve + sepelio „übel bestattend" (vespillo durch Anlehnung an vespa und daher suffixal an das Deminutivsuffix -illus angeschlossen). - WALDE-POKORNY: Vergleichendes Wörterbuch der indogermanischen Sprachen. Berlin 1928 ff. (3 Bde.), I 311."

14 ibid.: „ist falsche Konstruktion der Ableitung von *vesper* zuliebe..."

15 WALDE/HOFMANN, ibid.: „unbrauchbar". Notio „alarodisch" est iam pridem obsoleta, cfr Der Große Brockhaus,

illud etymon (ve + sepelio) *Hofmannio* videtur esse „non verisimile".[16] Contra etymon a *Ribezzo* allatum arguit verbum vespillonis non originaliter valere *'violatorem sepulchrorum';* hanc vim verbi esse secundariam, ergo non posse referri ad etymon.[17] De etymis a *Muller* et *Ernout* indicatis nihil dicit. Praeferre videtur etymon Domini *Zeyss* et Domini *Benveniste,* quod secundo loco affert: *vespillonem* duci a *vespa, -ill-* esse deminutivum, *-o* esse suffixum vulgare. Haec derivatio verbi primâ specie nobis quoque arridet: Nam ipse *Paulus* grammaticus antiquus tradit *vespillones* dictos esse etiam *vespas* et *vespulas*[18] nec verisimile est eas formas esse tales restitutiones falsas, qualis sit forma *vesperonum.*[19]

Sed quid de „tertio comparationis"? Quae ratio intercessit inter *vespillones,* illos ministros funerales corpora pauperum ad funus gestantes, et *vespas,* i.e. minutas volucres, ut aiunt Paulus et Festus grammatici, aut potius insecta volatilia? *Hofmann* putat vespillonibus nomen impositum esse *„propter vesparum indolem carnis vorandae".* Ex alterâ parte vir quidam doctus nomine *Goldmann*[20] in epistulâ *Hofmannio* scriptâ opinatur vespillones secundum vespas appellatos esse, quia „vespa muralis" larvas suas eo nutriret, quod insecta ictu sopita volando afferret ad larvas, ergo quadamtenus cadavera gereret, i.e. vice vespillonis fungeretur (v. supra 2 a et b et notas).

Ergo consideremus quaestionem tertii comparationis: primo de *„indole vesparum carnivorâ".* Reverâ Plinius maior in Historiâ Naturali suâ verbis effert vespas – contra ac apes – carnem comedere: PLIN.nat. XI 72 … *Praeterea omnes carne vescuntur contra quam apes, quae nullum corpus attingunt.*[21] Tamen non clarê intellegitur, quo sensu aut quâ metaphorâ

---

tom.I (A-Beo), s.a. (ca. 1958) p.216 sq.: „Altkleinasiatische Sprachen, … Zweifelhaft ist auch die Zusammenfassung aller nicht-indogermanischen Sprachen Europas und Vorderasiens, vom Baskischen und Etruskischen bis zum Sumerischen und Elamischen, als alarodische, japhetitische oder mittelmeerische Sprachgruppe. P. Kretschmer: Einleitung in die Geschichte der griechischen Sprache (1896); K. Oštir: Beiträge zur alarodischen Sprachwissenschaft I (1921); Japhetitische Studien, hg. v. Fr. Braun u. N. Marr (1922 ff.)."

16 ibid.: „unwahrscheinlich".

17 ibid.: „doch ist diese Bedeutung sekundär."

18 PAVLVS Diaconus ex Fest. (8 sc. p.Chr.n.), Epitoma Festi, ed. Lindsay 1913, p.368: *Vespae et vespillones dicuntur qui...*(v. supra) *...Hi etiam vespulae vocantur.* Sextus Pompeius Festus (ca. 150-200 p.Chr.n.) confecit epitomam operis Verrii Flacci, quod inscribitur „De significatu verborum". Verrius Flaccus fuit libertus magister nepotum Caesaris Augusti.

19 cfr WALDE/HOFMANN, ibid.: „...kaum als falsche Rekonstruktionen aus vispillo, vespillo zu verdächtigen..."

20 Qui scripsit indogermanistica et etruscologica, cfr WALDE-HOFMANN, op.mem., tom.I, Abkürzungen I. Bei Literaturangaben, p.XVIII: „E. GOLDMANN, Beiträge zur Lehre vom indogermanischen Charakter der etruskischen Sprache. Wien 1936." Ceterum inter homines doctos hodiernos iam pridem constat linguam Etruscam non esse indogermanicam vel indoeuropaeam. Errare humanum est.

21 Sed varii auctores antiqui hariolantur de bugonia, i.e. de apibus ex cadaveribus boum exortis, e.g. VARRO, De re

comesio carnis sit specialitas vespillonum. Iidem cadaverum gestatores (sensu verbi secundario) dicuntur sepulchra violare, i.e. res a sepulchris surripere, sed nullo modo dicuntur esse „necrophagi", i.e. cadaveribus vesci. Itaque difficile mihi esse videtur explicare comesionem carnis ut tertium comparationis.

Secundo loco ad obrussam exigamus tertium comparationis a Goldmannio propositum: Suntne testimonia antiqua, in quibus vespae considerentur esse gestatrices cadaverum, i.e. munere fungi vespillonum?

PLIN.nat.XI 71sq. Vespae quae ichneumones vocantur – sunt autem minores quam aliae – unum genus ex araneis peremunt, phalangium appellatum, et in nidos suos ferunt, deinde inlinunt et ex iis incubando suum genus procreant.

ARISTOT. Hist.an. V 20,552b 108 (Aubert/Wimmer, t.I, p.516):
οἱ δὲ σφῆκες οἱ ἰχνεύμονες καλούμενοι – εἰσὶ δ'ἐλάττους τῶν ἑτέρων – τὰ φαλάγγια ἀποκτείσαντες φέρουσι πρὸς τειχίον ἢ τι τοιοῦτον τρώγλην ἔχον, καὶ πηλῷ προσκατλείφαντες ἐντίκτουσιν ἐνταῦθα, καὶ γίνονται ἐξ αὐτῶν οἱ σφῆκες οἱ ἰχνεύμονες.
i.e. Latine: Vespae, quae ichneumones vocantur – sunt autem minores quam aliae – araneas, cum necaverint, portant ad murum aut aliquid simile cavernam habens, et luto oblinunt ibique fetum procreant, a quo gignuntur vespae ichneumones.

Nomen ichneumonum quare his vespis impositum sit, facile intellegitur: Quia venantur araneas venenosas, comparantur cum ichneumonibus, quae sunt animalia mammalia quadamtenus mustelis vel ictidibus similia, in Aegypto et India et Africa septentrionali viventia, tam agilia et fortia, ut superent magnas serpentes venenosas[22].

rustica 2,5,5.

22 cfr ARISTOT. Hist. Anim. VI 35,580 et IX 6,612a 16; PLIN.nat. 8,88. cfr Pancatantra, Liber fabellarum Sanscrite scriptus, cui inest fabella ichneumonis (sanscrite: nakula). Quae bestia eo servat infantulum, quod in pugna heroica necat serpentem imminentem. Mater infantis ichneumonem, cuius ôs cruore oblĭtum sit, occîdit, cum opinetur ab eo infantulum necatum esse. Quae fabella exemplo fuit multis fabellis europaeis, velut fabellae cymricae fidelis canis *Bethgellaert*. cfr etiam Rudyard Kipling, „Libri Zangalae" („*Jungle books*", 1894/95), ubi agitur de ichneumone nominis proprii *„Ricki-Ticki-Tavi"*. Nomen generis Indicum (linguae Telugu, quae spectat ad familiam Dravidicam) est *mangīsu* aut *mungisa*, inde nomina anglo-indica *mungoose* et *mungo* (cfr Henry Yule/A.C. BURNELL: Hobson-Jobson, A Glossary of Colloquial Anglo-Indian Words and Phrases..., 2.ed. New Delhi 1968, p.596 s.v. Mungoose. Nomina zoologica sunt *Herpestes ichneumon* (i.e. ichneumon africanus et aegyptius) et *Herpestes edwardsi* (i.e. ichneumon indicus, cfr Ivan T. SANDERSON, Knaurs Tierreich in Farben, Säugetiere, Deutsche Bearbeitung Georg Steinbacher, München/Zürich 1970, p.133.

In quod genus zoologicum vespae ichneumones Aristotelis et Plinii referendae sint, accuratê dici non potest; aut ad *Pepsidarum* aut ad *Trypoxylidarum* aut ad *Sphegidarum* familiam possunt spectare.[23]

Ichneumon stramentor, femina.

Genus vesparum zoologicum, q.e. *Ichneumon,* ova sua imponit in erucas papilionum, ut larvae exclusae easdem devorent debilitatas sed viventes[24].

23 Helmut LEITNER: Zoologische Terminologie beim Älteren Plinius. Hildesheim (Verlag Dr. H.A. Gerstenberg) 1972, pp.144sq. „Ichneumon 2...Es handelt sich vielleicht um Grabwespen, Sphegidae; ... *"a vespis capi araneas"*...Dies trifft aber vor allem auf die Töpferwespe zu: Fam. *Trypoxylidae*: z.B. die Gemeine Töpferwespe, *Trypoxylon figulus;* auch Arten der Gattung Sceliphron (Fam. Sphegidae), wie der in Südeuropa häufige Mauerspinnentöter, *Sceliphron destillatorius,* kommen in Frage. Diese Wespen bevorzugen Spinnen zur Versorgung ihrer Brut. Die Wegwespen, Fam. Psammocharidae = Pompilidae = Pepsidae, jagen als Beute und Nahrung für ihre Larven ausschließlich Spinnen."

24 https://de.wikipedia.org/wiki/Ichneumon_(Gattung)

ECCE LUCTA FATIFERA ANTE FENESTRAM FACTA.

Ecce ***Pepsis grossa*** (theodiscê: *„Tarantula-Falkenwespe"*, vivit in Americâ mediâ) modo morsu suo debilitavit ***araneam avicularíam*** per fenestram ascendentem. Quae vespa non statim necat araneam, sed venenum ei inicit, quo aranea debilitetur – viva, sed inermis et inops. Ea quae sequuntur sunt etiam crudeliora: Vespa araneam trahit in cavernam, ovum imponit ventri araneae et sepulchrum occludit. Cum larva exclusa est, lentê araneam devorat, sed primo evitat organa eius essentialia. Ita fit, ut aranea maneat viva, cum devorantur sua viscera.

ECCE ICHNEUMON (Herpestes edwardsii)
QUI PUGNAT CUM ASPIDE INDICA (Naja naja)*

*cfr BIBLIOTHECA LEONIS LATINI 110: **DE ASPIDE INDICA SIVE NAJA NAJA**

In photographematibus sequentibus agnoscitur, quatenus *Ammophila sabulosa* (e familiâ Sphegidarum) videatur fungi munere vespillonis. Sed haec vespa certê non est vespa „ichneumon" Plinii et Aristotelis. Nam eadem non solet praedari araneas, sed erucas papilionum familiarum, quae sunt *Erebidae* et *Noctuidae*.

**Vespa, cui nomen est *Ammophila sabulosa,* „sepelit" erucam,
id est transportat erucam debilitatam ad nidum, ubi ova eidem iniciet,
e quibus larvae excluduntur erucam vivam devoraturae**



supra: *Ammophila sabulosa* per aculeum imponit ovum erucae.
infra: Eruca debilitata sed adhuc vivens imposita est larvis Ammophilae

In fine huius relationis etymologicae legamus, quid referant entomologi moderni de vespis *Pepsidis* et *Sphegidis,* quae quadamtenus similes sunt vespillonibus.[25]

„Familia vesparum magni momenti ferê ubique terrarum versans, sunt *Pepsidae* vel *Psammocharidae* vel *Pompilidae,* quae araneas venantur. Hae vespae sunt colore nigro aut chalybeio[26], longis pedibus, alis pellucidis, quae saepe fulgore salmoneo[27] aut colore caeruleo. Nonnullae *Pepsidae* sunt valdê magnae, saepe octo ferê centimetra longae, aliae autem vix longiores sunt dimidio centimetro. *Pepsidae* nullas bestias nisi araneas praedantur adhibentque ad larvas nutriendas; et minores araneas et maiores, etiam maximas, i.e. avicularias.[28]

Nonnullae species *Pepsidarum* praedam infigunt alicui rimulae terrestri aut cavernulae forte inventae. E contrario aliae e terrâ struunt receptacula formae vasorum aut urnarum, quae apponunt lapidibus aut muris. Nonnullae bestias captas ita pungunt, ut eaedem moriantur. Sed pleraeque tam accuratê pungunt araneae tractum nervosum, ut eadem diutius uno mense superstes maneat recens nutrimentum larvarum.

id., pp.225 sq.: *„Ammophila* et *Sphex,* cum ferê ubique terrarum nascantur, sunt genera familiae ***Sphegidarum*** notissima. Hae vespae sunt insigniter graciles, longis pedibus, abdomine tereti, quod ad pectus est angustissimum et paulatim dilatatur in partem finalem clavae similem. Nonnullae harum specierum sunt prorsus nigrae aut plus minusve aquilae, aliae sunt nigri coloris maculis argenteis interspersis. Aliae nigri corporis anterioris, abdominis rubri. Species maximae magnitudinem habent quinque centimetrorum. ***Ammophilae*** loco apto cavernulam fodientes terram aut harenam effossam diligenter distribuunt in locis circumiectis, ne quae vestigia operae aut ipsius cavernulae inveniantur. Vespa, cum operatur, interdum recreatur floribus visendis, in quibus nectar sugit. Antequam proficiscatur ad venandum, in propinquo et supra nidum compluries circumvolat, procul dubio, ut situm nidi et obiecta conspicua

25 Alexander B. KLOTS/Elsie B. KLOTS: Knaurs Tierreich in Farben, Insekten. Deutsche Bearbeitung Wolfgang Dierl. München/Zürich 1969, Neuauflage 1978/79, p.219.

26 chalybeius cfr Coloman VÁCZY: Dictionar Botanic Poliglot, Latină, Română, Engleză, Germană, Francesă, Rusă, Maghiară). Bucureşti, 1980, Deutscher Index, p.804 stahlblau: C 257 (= CHALYBEIUS).

27 *salmoneus: VÁCZY, op.mem., p.455: „24 SALMONEUS, SALMONICOLOR, SALMONICUS, palid roşcat, gălbui rozeu (salmon-coloured, yellowish-pink; lachsfarbig, gelblich-rosenrot; couleur saumonée, jaunâtre-rose; lazac-szinü, halványvörös, sárgás-rózsaszin; ...“

28 aranea avicularia: familia zoologica *Avicullariidae*, angl. *bird spider, hairy mygalomorph;* theod. *Vogelspinne.*

memoriae sibi mandet, quibus postea nidum recognoscat. Postea incipit venari. Genus *Ammophilae* praedatur papilionum erucas, quae saepe multo maiores et ponderosiores sunt quam vespa ipsa. Ammophila, si invenerit erucam aptam, statim aggreditur corporique erucae compluries aculeum impingit. Hôc modo accuratissimê icit nonnulla ganglia, nodos nervosos, qui in parte erucae inferiore eodem ordine sunt positi.

Praeterea mandibulis suis fortissimê immordet cervici animalculi capti. Hôc morsu, quae dicitur *malaxatio*, videntur interrumpi nervi ibi siti. Praeterea vespam simul etiam aliquantum suci corporalis erucae sugere verisimile est. Tum articulis buccalibus comprehendit praedam vividam, sed ad movendum non iam habilem, miro more equitantis se erucae superponit eandemque arripit et attrectat ad nidum. Interdum iter ad nidum faciendum tam longum et difficile est, ut vespa per breve tempus praedam relinquat et brevi volatu facto quaerat aptam viam ad nidum. Denique cavernulam praeparatam assecuta erucam subtractat ad cellam ei destinatam. Ibi ovo ad praedam parto incipit aperturam nidi occludere. Quod opus a vespâ perficitur magnâ cum diligentiâ et industriâ. Primo mandibulis suis aggerit maiores grumos, ut occludat aperturam et terram capite paviat. Denique terram introitui impositam diligenter levigat, ne quo modo situs nidi patefiat."

Quid *Ammophila* mater faciat primo ovo parto et nido occluso, refert *Hasenkamp*[29]: *„Dum larva exclusa devorat primam erucam, vespa iam incipit fodere alteram cavernulam alteramque erucam venari eandemque ovo addito cavernulae imponere. Mirum est, quod vespa etiam recordatur nidum primum die praeterito fossum, nam eundem iterum advolat, aperit, aspicit res, quae insunt. Pro stadio larvae ingerit aptas erucas devorandas. Compluribus diebus post – interea quattuor iam nidi sunt curandi – vespa, cum iterum probaverit nidum larvae maximae natu, decem erucas unam post alteram ingerit in eundem, quem postea iterum occludit. Hôc spatio temporis tertio cura prolis finitur. Larva, si stadium nutriendi est finitum, capsula obvolvitur, a quâ proximo mense Maio excluditur nova vespa.*

Ammophila, cum numquam conveniat matrem suam, nullo modo potest discere eius modos agendi. Variae actiones, fodere, venari, pungere, ova parere, quae catenae ratione inter se coniunguntur, sunt innatae, i.e.

29 Klaus-Rainer Hasenkamp: Biologie. Eine Einführung. Basiswissen aktuell (Orbis Verlag) 1982, pp.224/226.

instinctu quodam efficiuntur. Nullum membrum catenae actionum efficitur nisi vespa est parata ad agendum et accipit stimulum, exempli gratiâ captus erucarum non fit nisi vespa est parata ad venandum et aspectu aut odore erucae accipit stimulum."

Haec hactenus de vesparum familiis, quae appellantur Pepsidae et Sphegidae. Ad quaestionem nostram etymologicam reversi concludamus:

1. Verbum *vespillonis* derivatum est a verbo *vespae,* quia quaedam vesparum genera bestiolas debilitatas sopitasque cavernulis infigentes Romanis videbantur cadavera bestiolarum sepelire. *Goldmann* rectê opinatus est *tertium comparationis* inter vespas et vespillones *factae esse actionem vesparum, quae sepultioni quadamtenus similis esset.*

2. Apud *Aristotelem* et *Plinium* referuntur vespae *ichneumones* araneas mortuas nidis suis includere ad prolem nutriendam. Quod nomen his vespis impositum est, quia simili fortitudine aggrediuntur magnas araneas venenosas ac *ichneumones* quadrupedes (*Herpestes spec.*) aggrediuntur venenosas serpentes.

3. Vespae *ichneumones* Aristotelis et Plinii videntur referendae esse in familiam zoologicam *Pepsidarum* aut *Trypoxylidarum* aut in familiae *Sphegidarum* genus *Sceliphron.* Sed nomen vespillonis potuit etiam confingi observatis vespis familiae *Sphegidarum,* qualis est *Ammophila sabulosa,* quae erucas praedatur et sepelire videtur.



LEO LATINUS

BIBLIOTHECA LEONIS LATINI
https://ephemerisnuntii.eu/bibliothecaLL.php
A.2026